

DECAS
REGULARUM PHILOSOPHICARUM
QVINTA,

DE

ABSTRACTO ET
CONCRETO,
Hanc

D. T. O. M. F. A.

PRÆSIDE

M. DANIELE STAHLIO,

Hammelb. Fr. Facultatis Philosophicæ in inclytâ

Salanâ Adjuncto, & p. t. Decano,

inter æquales

horis & loco consuetis

defendet

PETRUS WORMSIUS,

CALENSIS.



J E N Æ

TYPIS JOHANNIS BEITHMANNI,

ANNO clō lō cxvii.

DECEMBER 1871
RECEIVED AT THE
LIBRARY OF THE
CONGRESS

ABSTRACTS OF CONGRESS

1871

AND
OF THE

UNITED STATES

OF AMERICA

BY

JOHN

PETERS

OF THE

LIBRARY OF THE
CONGRESS

WASHINGTON

1871

AND

REGULA I.

Abstractum & Concretum non differunt re, sed ratione tantum.

I.



Ensus regulæ est: *Abstractum & Concretum sunt una res, quæ aliter concipitur in concreto, puta per modum totius & habentis, aliter in abstracto, nempe per modum partis seu principii sive formæ ejusdem habentis, e. g. Homo & humanitas significant eandem naturam, sed homo significat eam per mo-*

dum totius actualis atque completi, & ideo per modum habentis. Humanitas verò non nisi per modum principii & formæ ejusdem totius habentis. Ubi simul apparet, quando dicimus abstractum & concretum ratione differre, distinctionem rationis, non ratiocinantis, sed ratiocinatæ intelligi.

2. Cæterum de quibus & quousque veritas hujus regulæ constet, ut sciamus, distinguendum est inter abstracta *Physica & Metaphysica*. Est verò abstractio *Physica*, quando abstrahitur forma à subjecto vel composito, sive talis forma accidens sit, sive substantia. Sic abstractum *Physicum* in substantiis est *anima*, cui respondet concretum *Physicum*, corpus animatum: In accidentibus abstracta *Physica* sunt calor, albedo, &c. quibus tanquam concreta *Physica* respondent calidum, album. Abstractio *Metaphysica* est, quando abstrahitur essentia ab entitate sive re, quam, ut sic dicamus, constituit. Sunt igitur abstracta *Metaphysica* in substantiis animalitas, humanitas, animeitas, quibus respondent tanquam concreta, animal, homo, anima: In accidentibus sunt caliditas, albedineitas, quorum concreta calor, albedo. Vide Soar. Tom. 1. disp. Metaph. 9. s. 10. n. 3.

3. Ex quo vides, unum & idem, quod in ordine Physico abstractum vocatur, in ordine Metaphysico posse dici concretum, id quod in primis in accidentibus perspicuum, & notandum est; sicut calor physice abstractum est, metaphysice concretum: Item unum & idem posse esse concretum physicum & metaphysicum, respectu diversorum abstractorum, e. g. Animal est concretum physicum respectu suæ animæ, respectu verò animalitatis est concretum metaphysicum.

4. Quod jam præsentem regulam attinet, eam explicamus & limitamus ex data distinctione, duabus conclusionibus. I. *Abstractum & Concretum metaphysicum solâ ratione differunt.* Quod facile patet, quia in re ipsa inseparabilia sunt animalitas & animal, & alterum non plus vel minus includit, quàm alterum, neque alia etiam ad sunt realis distinctionis signa. Sicut enim animal intrinsecè ex corpore, & anima peculiari constituitur, sic eadem principia includit animalitas, & idcirco re ipsa unum sunt, ratione tamen differunt, quia, ut dictum, unum concipitur per modum partis, alterum per modum totius. Eadem etiam in reliquis est ratio.

5. II. *Abstractum & Concretum physicum differunt realiter, non quidem eâ distinctione reali, quæ est inter res omnino condistinctas, sed eâ, quâ distinguitur includens ab incluso.* Quod probatur: In concreto physico tria sunt considerata: Forma per se sumta, ut albedo, subjectum formæ, ut cygnus, & concretum ex forma & subjecto constitutum, ut album. Quâ de re vide *Conimbricens.* in *Antepræd. c. 1. in explic. text.* Ex quo sic argumentor: Abstractum physicum secundum rem non includit subjectum à se realiter distinctum. Concretum physicum secundum rem includit tale subjectum. Ergo concretum physicum re ipsa plus includit, quàm abstractum, & per consequens, concretum Physicum ab abstracto differt realiter, ut includens ab incluso, quia illa sic differunt, quorum unum includens alterum, plus sive aliquid ultra includit, quod illud alterum in re ipsa non includit. Vide *Soar. tom. 1. disp. metaph. 7. s. 1. n. 23. & tom. 1. disp. 36. s. 3.*

REGU.

Quicquid predicatur, in concreto predicatur.

1. Regulam hanc partiemur in duplicem sensum, primus sit negativus: *Abstractum non potest poni predicari loco in enunciatione*, sive illud velis de alio abstractio enunciare, ut, humanitas est animalitas, humanitas est rationalitas, sive de concreto aliquo, ut homo est animalitas, &c. Hæ enim omnes propositiones falsæ sunt.

2. Ratio est hæc: In quacunque prædicatione prædicatum est pars subjecti, & significatur per modum partis, illa non est vera. Pars siquidem concepta per modum partis non prædicatur de toto. Quod propterea addo, quia genus prædicatur verè de specie, cujus tamen pars est, qui scilicet non significatur per modum partis, sed per modum totius potentialis. In dictis prædicationibus prædicatum est pars subjecti, & significatur per modum partis. Ergo dictæ prædicationes non sunt veræ. Minor patet. Quia sicut homo componitur ex animali & rationali, & per consequens etiam ex animalitate, & rationalitate, ita & humanitas componitur ex animalitate & rationalitate. Et quod prædicata quoque per modum partis significantur, manifestissimum est. Possunt certè & aliæ prædicationes, in quibus abstracta de abstractis prædicantur, excogitari, ut rationalitas est animalitas, animalitas est rationalitas &c. quas falsas esse manifestius est, quàm priores, in quibus abstractum prædicabatur de abstracto, in quo includebatur. Qui tamen & de illis dubitat, neque ipse rationem facillè invenire potest, videat *Ant. Rur. intrinsec. de prædicat. abstract.*

3. Objicis, quod rectè dicatur: Homo habet animalitatem, ignis habet caliditatem. Ergo abstractum prædicatur verè de concreto.

4. Respon. In positis propositionibus prædicatum non est abstractum, sed concretum, quia sic resolvi possunt, homo est habens animalitatem, ignis est habens caliditatem. At habens animalitatem, & habens caliditatem Concreta sunt. Abstracta igitur includuntur quidem in harum propositionum

sitionum prædicatis, sed non sunt ipsa integra prædicata. Quapropter regula præsens debet intelligi de prædicatione in casu recto. In recto enim non prædicantur Abstracta de Concretis. Quando autem in obliquo prædicantur, tunc prædicata non sunt Abstracta, sed concreta, ut vidimus.

5. Instas; Regulam adhuc esse falsam, quia dico; albedo est color, color est qualitas, & in universum accidentia in Abstracto de suis inferioribus in casu recto prædicantur.

6. Resp. Intelligenda esse ea, quæ diximus, de Abstractis metaphysicis, quæ appellantur Abstracta abstractione ultima, propterea, quod ab ipsis, ut ab animalitate, albedineitate nihil ulterius potest abstrahi, sed ibi subsistendū est, non de physicis, quæ non sunt abstracta abstractione ultima, quia ab iis, ut à calore, albedine, aliud ulterius, nempe caliditate, albedineitate abstrahere licet, indeq; ita abstracta sunt, ut nihilominus etiam sint concreta, videlicet Metaphysica. Concreta, inquam, sunt, quia licet concipiantur, ut abstracta à subjecto, non tamen ut abstracta ab ipsa re, & idè significant aliquid per modum totius, & per se subsistentis ad similitudinem substantiarum. Quando igitur huiusmodi abstracta prædicantur de aliis, non prædicantur, ut abstracta sunt, sed ut sunt concreta, quia calor, &c. prædicatur de albedine, tanquam totum, quod potentia est albedo.

7. Et hæc de primo sensu negativo huius regulæ. Alter est affirmativus, talis nempe; *Prædicatum in aliqua propositione semper debet esse Concretum.* Quod tamen intelligendum puto de prædicatione naturali. Siquidem in prædicatione præter naturam inferiorum de superioribus concreta Metaphysica accidentaliter prædicantur, ut color est albedo, animal est homo. Sed quodnam & quomodo? Prædicatio est duplex, essentialis & Accidentalisis. Essentialem vocamus, quando prædicatum est de essentia subjecti: Accidentalem, quando est extra ejus essentiam. Concreta metaphysica prædicantur solum prædicatione essentiali, ut anima est forma, albedo est color, non accidentali, quia non dico, ignis est calor. Concreta verò Physica prædicantur tum prædicatione accidentali, ut paries est albus, tum essentiali, ut album est coloratum. Id quod non solum de huiusmodi
con-

cretis accidentium intelligendum est, sed & substantiarum. Dico enim statua est lapidea, prædicatione accidentali, & marmoreum est lapideum, essentiali.

8. Observa etiam hîc præsentem regulam esse intelligendam de sola propositione affirmativa. Hæc enim propriè solum prædication appellatur. Nam in negativa sine discrimine Abstractum vel Concretum prædicatur, ut rectè dico, Animalitas non est rationalitas, Homo non est risibilitas.

REGULA III.

Abstractum prius est concreto.

1. Facilis est probatio hujus dicti: Abstractum enim est pars vel saltem concipitur per modum partis, Concretum per modum totius & principiati. Sed omnis pars vel quod concipitur per modum partis, est prior toto.

2. Ut tamen ne erres, omnia abstracta eodem modo concretis priora proclamando, distinguere oportet interduplicem prioritatem. Una est, quæ competit rei pro natura sua de se extra intellectum, poteritq; appellari realis. Altera competit rebus, non de se, sed propter conceptionem intellectus nostri, qui aliquid concipit, ut prius alio, cum revera in rerum natura non sit prius, potestq; dici prioritas rationis. Ex hac distinctione duas pono conclusiones.

3. Prima: *Abstractum Physicum prius est concreto prioritate reali, & quidem naturâ.* Probatur sic: Forma realiter & naturâ est prior formato: Abstractum Physicum est Forma, Concretum formatum. Ergo abstractum Physicum est prius concreto realiter & naturâ.

4. Secunda conclusio: *Abstractum Metaphysicum est prius concreto non prioritate reali, sed rationis.* Hujus conclusionis sunt duæ partes. Prima prob: Ubi non est distinctio realis, ibi nec prioritas realis est, siquidem prioritas præsupponit distinctionem, & ut aliquid sit realiter prius aliquo, oportet ut realiter ab eo differat. At abstractum Metaphysicum non differt realiter à concreto, ut supra probatum est. Ergo nec realiter ipso prius est. Posterior pars statim patet. Quia cum

cum omne abstractum sit prius concreto, ut in principio huius questionis probatum est, etiam Metaphysicum abstractum erit prius concreto. Cum verò non sit prius prioritate reali, erit necessario prius ratione.

REGULA IV.

Concretum non predicatur de Abstracto.

1. In præcedentibus diximus, quod concreta prædicentur, & quomodo. Præsens regula docet, de quibus subiectis prædicentur, nempe non de abstractis, sed de aliis concretis.

2. Porro triplex potest esse sensus huius regulæ. Primus sensus est: *Concretum non predicatur de suo ipsius abstracto.* Excipe quantitatem, & quæ sunt in prædicamento quantitatis. Rectè enim dicitur: *Quantitas est quanta, & magnitudo est magna.* Probatum hoc sic: *Omnis linea est quanta: Omnis linea est quantitas. E. quædam quantitas est quanta. Similiter: Quædam linea est magna. Omnis linea est magnitudo. Ergo quædam magnitudo est magna.* Quæ verò sit ratio huius exceptionis, vide apud Tolet. in præd. quant. quest. 1. pagin. 125.

3. Secundus sensus est; *Concretum non predicatur de abstracto alio realiter distincto.* Et hîc frequentissime contrarium fit. Dicimus enim calor sive caliditas est magna, Musica est jucunda, Humanitas Christi est exaltata, &c.

4. Tertius sensus est: *Concretum non predicatur de abstracto alio solâ ratione à se distincto.* Et hîc excipe I. ipsum ens, quod prædicatur de omnibus abstractis & concretis rerum, propter suam transcendentiam, & quia includitur in omnibus. Dico enim homo est ens, humanitas est ens. II. Differentias, quæ quoniam se habent per modum adjacentium, in concreto etiam de abstractis prædicantur. Sic dico, humanitas est rationalis.

REGULA V.

Quicquid dicitur de abstracto, dicitur etiam de concreto.

REGULA VI.

Quicquid dicitur de concreto, dicitur etiam de abstracto.

1. Ut hæ regulæ valeant, oportet adesse tres conditiones: Prima est circa subjectum, quod oportet esse abstractum vel concretum in ordine Physico. Secunda est circa prædicatum, ut nempe in eo attendatur eadem diversitas abstracti, ita ut prædicatum, quod in una propositione voce abstractivâ proponebatur, in altera ponatur voce concretivâ, & vice versa, quod in una concretiva voce exprimebatur, in altera enunciatur abstractiva. Tertia est circa ipsam prædicationem, ut nempe sit essentialis. E. G. Rectè dicitur, albedo est color. E. album est coloratum. Logica est ars. Ergo Logicus est artifex.

2. Fallit ergo regula, Deficiente primâ conditione, in abstractis & concretis Metaphysicis. Sic non valet; Homo est animal. Ergo humanitas est animalitas. Album est coloratum. Ergo albedineitas est coloreitas.

3. Fallit 2. Defectu secundæ conditionis, quando nempe prædicatum manet in utraq; vel abstractum vel concretum. Ut non valet: albedo est color. Ergo album est color. Vel: Album est coloratum. E. albedo est colorata.

4. Fallit 3. Defectu tertiæ conditionis, quando propositio est accidentalis. Sic non valet; Musicus est Medicus. E. Musica est Medicina. Flavum est dulce. E. Flavido est dulcedo. Ignis est calidus. E. igneitas est calor. Quanquam in hoc postremo exemplo etiam prima conditio desit. Vulgò efferruntur hæ regulæ sic. *Quod dicitur de uno conjugatorum, dicitur etiam altero.*

REGULA VII.

Cui convenit concretum, ei convenit & abstractum.

1. Hoc est, de quo concretum prædicatur, nempe in casu recto, ei oportet inesse ipsum abstractum, sive de eo oportet & abstractum prædicari, in obliquo tamen. Communiter dicitur: *Dicit de aliquo requirit inesse*. Sic ignis dicitur calidus, homo eruditus. Ergo illi calor, huic eruditio inest.

2. Obijcis: Sol dicitur calidus, & tamen calor non inest Soli. Dicitur aliqua res agens, cum tamen actio non in agente sit, sed in patiente.

3. Respondent vulgò, distinguendo inter inesse formaliter & effective. Dicunt: Dici de aliquo requirit inesse vel formaliter vel effective. Licet ergò calor non insit Soli formaliter, ipsi tamen inest effective. Verùm, hanc responsionem licet non omninò improbem, insufficientem tamen judico. Do instantiam. Rectè dico, paries est visus, & tamen visio in pariete non est formaliter. Formaliter enim in solo est oculo, nec etiam effective, non enim visio effectus est parietis, sed ejusdem oculi. Eadem ratio est, cum dico, lapis est cognitus. Ideò ad objectionem respondeo, & regulam simul limito, distinguens inter denominationem intrinsecam & extrinsecam. Dici de aliquo denominatione intrinsecà, requirit, ut forma, à quâ denominatio fit, rei insit. Sufficit verò interdum, ut res denominetur sic, sive ut concretum de aliquo dicatur, si res denominata aliquo modo referatur ad abstractum sive formam dominantem, vel ut objectum, vel ut causa, &c. licet hæc ipsi non insit. Et tunc talis denominatio est extrinseca. Cum igitur dico, Paries est visus, denominatio extrinseca est, non intrinseca.

REGULA VIII.

Cui convenit abstractum eidem & concretum.

1. Hanc regulam intellige sic: *De quo dicitur Abstractum in casu obliquo, de eodem dicitur Concretum in recto*. Sic, ignis habet calorem. Ergò est calidus. Logicus tenet artem. E. est artifex. Contra: *De quo dicitur Abstractum in casu recto, de eo dicitur Concretum in obliquo, non etiam in recto*.

in recto: Sic non dicitur rectè: Albedo est color. E. est colorata. Sic tamen rectè: Albedo est color, ergò est colorati color. Sic non valet: Anima rationalis est anima. E. est animata. Sed ergò est animati anima.

2. Aliàs hæc regula sic enunciat: *Cui convenit unum conjugatorum, eidem convenit & alterum.* Sed regula hæc non est vera sic enunciata, quia extenditur etiam ad modos & casus, quæ etiam conjugata sunt. Sed enim cui unum conjugatorum competit. E. G. Concretum vel Abstractum, illi non statim competit modus. Sic non sequitur: Homo habet risibilitatem. Ergò est risibilis. Ergò & ridet. Non sequitur, homo tenet artem ratiocinandi. E. ratiocinatur. Et ratio facilis est, cur non sequatur, quia modi, ut ridere, ratiocinari sunt actus secundi, abstractum, cui statim respondet. Concretum, est actus primus. Sed enim posito actu primo, non statim ponitur secundus, sed secundus potest abesse à primo.

R E G U L A IX.

Abstractum est forma Concreti.

1. Multos audias hanc regulam in universum intelligentes de forma propriè dicta, qui inde etiam abstractum, causam concreti esse proclamant, quia ejus forma sit. Sed quod erronea sit hæc sententia, duobus argumentis demonstrabo: I. In rebus spiritualibus & accidentibus non datur, forma propriè sic dicta, & quæ causa est, quia in eis non est materia: At ubi materia non est, ibi nec forma, quia materia & forma relata sunt. In rebus spiritualibus & accidentibus dantur Abstracta, ut patet. Ergò abstractum in genere non est forma propriè dicta. II. Forma non est tota rei essentia. Abstractum quoddam est tota rei essentia. E. quoddam Abstractum non est forma. Major probatur, quia materia est pars essentia: Si ergò forma est ipsa sive tota essentia, materia etiam erit pars formæ, quod absurdissimum. Minor patet, quia animalitas est Abstractum animalis, animalitas verò nec solam materiam animalis, nec solam formam, sed utramque includit.

2. Atque hæc sic probata sunt, vera nihilominus est proposita regula, sed cum distinctione inter formam Physicam & Metaphysicam. Forma Physica est quid incompletum, altera pars rei actualis, cum materia realiter à se distincta rem constituens, & idecirco in solis rebus compositis reperitur, & licet hoc nomen principaliter substantiali formæ competat, tamen accidentibus etiam attribuitur, quatenus eæ cum subiecto compositum per accidens constituunt. Forma Metaphysica est ipsa tota rei essentia, simplex quidem in substantiis spiritualibus, composita verò in corporeis ex materia & forma Physica. Forma Physica propriè dicitur forma, & est causa: Metaphysica forma causa non est, sed appellatur forma per analogiam quandam, quoniam rem essentialiter quasi constituit per se ipsam.

3. Ex his determinanda est regula sic. *Abstractum Physicum est forma Physica*, ut anima animantis, calor calidi. *Abstractum verò Metaphysicum non est forma Physica, sed Metaphysica*, ut humanitas hominis, caliditas caloris. Licet enim forma Metaphysica propriè non sit in accidentibus, ut videri potest apud *Soar. tom. 1. disput. Metaph. 15. sect. 11. num. 6.* tamen illis hoc nomen etiam potest accommodari.

REGULA X.

Abstractum & Concretum sunt in eodem predicamento.

1. In universum hoc verum est de Abstracto & Concreto in genere Metaphysico. Et ratio facilis est, quia Abstractum Metaphysicum est essentia tota Concreti. Quis autem tam absurdus, ut dicat, rem & essentiam ejus esse in diversis predicamentis?

2. In ordine Physico distinguendum inter substantias & accidentia. Abstractum Physicum substantiale est in eodem predicamento cum suo Concreto. Quia cum substantia sitens per se, non potest fieri ex non substantia. In accidentibus autem alia ratio est, nam in his Concretum Physicum potest duobus modis sumi, primò ut solum significat

fiat compositum quid ex natura accidentali & proprio motu actualis inhaerentia, connotans ex consequenti subjectum, in quo inhaeret; & Concretum hoc est unum per se. Secundo sumitur per modum aggregati ex utroque, nempe ex accidentali natura & subjecto, & hoc modo est unum per accidens. Videlatè Anton. Riv. in prædicament. Aristot. cap. 4. q. 2. nu. 25. & seq. Jam faciam duas conclusiones.

3. I. *Abstractum & Concretum accidentale interdum sunt in eodem prædicamento, quando nempe Concretum ex tota natura accidentali & proprio modo inhaerentia intelligitur compositum.*

4. II. *Quamquam abstractum accidentale semper sit in aliquo prædicamento, tamen concretum interdum est in nullo prædicamento, quando videlicet sumitur ut compositum ex natura accidentali & subjecto, & est ens per accidens.* Et hæc duæ conclusiones sunt manifestæ ex dictis.

5. *Toletus in prædicam. c. 7. p. 138. existimat, abstractum interdum esse in uno prædicamento, concretum in alio, propterea quod locus & tempus sint quantitates, & tamen esse in loco & tempore sunt alia prædicamenta, nempe Ubi & Quando.*

6. Sed errat *Toletus*. Oportet enim distinguere hæc tria: Locus & Tempus. Deinde præsentiam sive existentiam in loco, & existentiam in tempore. Terriò esse in loco & esse in tempore. Locus & tempus non sunt abstracta ejus, quod est esse in loco, sed abstracta sunt existentia in loco & tempore. At prædicamentum Ubi est præsentia in loco, & Quando existentia in tem-

porè.

s[o]s

Domino PETRO WORMSIO,
Amico suo.

Dum Tibi Petre lubet Sophia lustrare per hortos,
Ac ibi fragrantès carpis odore favos,
Rem facis egregiam, cujus præstantia posthac
Te societ claris eximiisq; viris.
Ipsa Themis mea Te deprædicat esse secutum
More decente Sophum pulpita celsa chori.
Adde quòd addideris summi quoq; jura Tonantis,
Intentum studiis Te juret esse piis.
Omen id omne bonum: si sic perrexeris ultro
Ad Jovæ placitum continuabis opus.
Te fiet maneant tandem laudesq; decusq;
Condecorentq; Tibi myrthea fèrta comas.
Valentinus Melasius Brandeburgensis
Marchicus J. U. C.

Intrepidò quisquis Logices penetralia nifu
Intrat. Et egregias solerti indagine gazas
Rimatur, tumidos benè confutare Sophistas
Est potis, atq; polit rationis acumine mentem.
Hoc facis, eximio ductore, PETRE optime,
fretus

Perge

Perge avidè, nechumi Vermis de more latebis,
Sed geniô mediante petes celsa atria cœli.

Benevolentia causa volebam.

Jenâ abiturus

M. Zacharias Schilteer

L L. Studiosus.

Discenda est Logice studio; noctuq; diuq;
Curramus stadium hoc: nam jubet ARTIS
HONOS.

Discenda est Logice studio; noctuq; diuq;
Curramus stadium hoc: nam jubet UTILITAS.
Idcirco quod HONOS ARTIS, quod maxima suadet
UTILITAS, WORMSI, (dico,) LABORE pares.
Sic non serpet humi VERMIS, sed scandet ad alta:
Sic HONOR efficiet dulce LABORIS onus.

M. Michaël Bethman.

Nunc ô Musarum immortalis adorea
WORMSI,
Velatus lepidas Delide frunde comas.
Nunc ô gemmifluos celeratis gressibus hortos
Ingredieris, leni vectus in astra Noto.
Qua Logice residens folio renitente pyropis,
Tecta Smaragdineæ velat honore togæ.
Hâ

Hà quam te blandâ sapientiâ amabilis aura
Afflat & Aoniis hermit Amor violis.
Hà quam te Genuis Stagiræi amplectitur ulnis,
Et responsa tuis insonat auriculis.
Ergò age rumpe moras, & tantas eripe gazas,
Sic eris in Logico fulgida stella polo.

Joannes Timæus, Junior.



DECAS VI.